

v^o 11

offen. 4 17.

- 1) Pfaffrad, C.
- 2) Carpizow, B.

N. VI. 49.



9
I. N. J. A.
INTRODUCTIONIS AD LOCOS

Theolog. B. Chemnitii,
DISPUTATIO IIX.

Ex quâ,

De

GENERATIONE ÆTERNA

FILII DEI,

ET CERTAMINIBUS IN ECCLESIA SUPER
DIVINITATE EIUS ORTIS,

Præside

JOHAN-BENEDICTO CARPZOVV SS. Theol.

Licentiato, Profefs, Publico & ad D. Thomæ
Ecclesiasse;

Respondente

M. DAVIDE SCHARFIO Hamburgensi,

Pridie Kalendas Junias, Anni 1648.

disputabitur.

LIPSIAE,

Typis HENNINGI CÖLERI.

INTRODUCTIONS AD LOCOS

DISPUTATIO

GENERATIONE

DE

ET CERTAMINIBUS IN ECCLESIA

JOHANNES BENEDICTUS CARPZOV

Licentius, Praeceptor Publicus et D. Theol.

M. DAVIDE SCHARTIO



Ad Eximium
Dnum M. SCHARFF. de Filio Dei
disputantem.

Nullum dogma sacrum superat mage mentis acumen,
quam quod de Christo tractat agitq; Deo.
Hoc sibi coeca tamen ratio submittere tentat
scilicet id captu non capiente suo.
Viribus hinc contra cunctis insurgit, & istud
involvit foedis haereticisq; plicis.
Ut salvam ratio se salvo hoc dogmate posse
esse neget, testem te mihi Fauste dabis.
Arrie tuque satis monstras Photine superque,
quaeque est Socini tetra propago tui.
Extricare illas qui ritè & solvere tricas
debet subtilis sit decet ingenii.
Polleat & multo praclarus acumine mentis,
est opus ingenio, iudicioque gravi.
Tale Deus tibi cum dederit, feliciter istud
exerces Scharfi rebus in hisce sacris.
Atque ita conveniat tibi, quod cum nomine monstras,
omen, sic porrò perge favore Dei.
Perge ita, quod Magno jam nunc sub Praeside tentas,
post sine ductore hoc aggrediare tuo.

Ita gratulab. vovebat
Gotfridus Sluterus, SS. Th. Lic.
& P. P.



E Sse Deum, genitumque Deo, genitoris & ipsum
Esse cōaternum, Mens malefana negat;
Asserit illa Fides: Studio certatur utring,
Ferventi, telis sed nimis imparibus.
Illa cōit fragili, cerebrum quam finxerat, arte:
Hæc contra solo nititur ore Dei.

M. Vincentius Crull,
Hamb.

ÆTERNAM PATRIS SOBOLEM sub PRÆSIDE MAGNO
Dum Tua nos, SCHARFI, docta docet pietas:
NOMINIS ingenique Tui par constat ACUMEN
Tuque eris ipse Dei per SOBOLEM soboles.

Civi pl. honorando
gratul.

Fr. Henr. Meschman.



MEMBRUM II.

De

Filiatione Christi.

Diff. VIII.
 Respondente
 M. Davide
 Scharfio
 Hamb.

I. Christus est secunda persona Trinitatis & Dei Filius proprius ac naturalis, ex Patre ab æternogenitus.

DE Christo secundum Divinam naturam quæstio est. Etsi enim etiam secundum humanam naturam Dei filius est propter identitatem personæ, uti infra ad vocem Filii notabimus; tamen hic de Christo secundum divinam naturam præcipue quæritur, quod in altero præsupponi debet.

II. Optimè & piè æternæ generationis Filii Dei fundamentum, in appellationibus ejus quæritur Chemn. in Loc. p. 128.

§. 1. Sicut enim in cæteris, quæ de Deo scimus, merè Grammatici sumus, & de Deo nil ampliùs in hac vita cognoscimus, quàm nomen ejus: ita in veram Filii Dei notitiam devenire possumus istarum appellationum beneficiò, quæ Filio Dei tribuuntur.

§. 2. Et imprimis *Mysterium generationis æternæ* variis appellationibus significatur, quæ non gentiliter & scurriliter exagitari, sed piè ac reverenter considerari debent.

III. *Prima appellatio Filii Dei, quæ ejus generationem aliquo modo designat, est λόγος* Chemn. in Locis p. 129.

§. 1. Ο λόγος vox æquivoca est, & varias in Scriptura significationes habet, quas recensere omnes hujus non est loci, Tres principales sunt. Notat enim (1.) λόγον ἑμφορον innatum id est, ipsam rationem (2.) ἐνδιάθετον, id est, intra positum, qui

A

Con

Conceptus mentis est & appellatur, & (3.) προφορικόν seu *prola-*
rum. Hisce accedit (4.) *singularis* & maximè *illustris* ille λόγος
 & σιωδης.

§. 2 Habet hanc appellationem in Nov. Testam. quidem
Solus Johannes Evangelista cap. I. Evangelii sui, vers. 1. & in cap. V.
prior. Epist. vers. 8. & in vers. 15. cap. XIX. Apocal. sed non Primus
 est, qui hoc nomen Filio Dei attribuerit, cum in *Vet. Testam.* et-
 iam id ipsum Filio Dei attributum legamus *Psal. XXXIII, 6. 2. Sa-*
mael. VII. 20. coll. cum 1. Par. XVII. 18. 19. 2. Sam. XXIII. 2. In his
 omnibus Locis LXX. *Ebraeam* vocem per λόγον verterunt. Et o-
 mninò huc referenda est *Paraphrasis Chaldaea*, quæ in locis pluri-
 mis (à B. Dn. D. Selneccero in peculiari libello collectis) ubi de Mes-
 sia fons *Ebraeus* loquitur, vocabulum מִדְבָּרָה posuit. Confer præ-
 cæteris *Psal. CX. 1. Esa. XV. 17. & Chemnit. cap. 1. Harm. p. 64*

§. 3. Quomodo græca vox verti debeat, inter *Doctores* o-
 lim controverti fuit cœptum. *Erasmus* à nostro *Chemnitio* cita-
 tus, per *Sermonem* vertere maluit, quàm per *Verbum*, Veterisq; Ec-
 clesiae autoritatè inter alias rationes allegat. Subscribunt *Erasmò*
Marloratus, Beza, Tremellius, Polanus, alique: Imprimis autem
 id arridet *Photinianis*. Ut ut verò non multum discriminis inter
Sermonem & *Verbum* interesse videatur, rationes tamen à nostris
Theologis hodie allegari solitæ, fortiùs pro vulgari & in nostra
 Ecclesia hætenus recepta versione, quâ per *Verbum* redditur græ-
 cum, *Germ. das Wort / non die Rede /* militant.

§. 4. Et verum est, quod noster *Chemnitius* non hoc loco
 tantùm sed etiam *cap. 1. Harmon. Evangel. pag. 64. 65.* annotat, *Jo-*
hannem ex *Chaldaicâ Bibliorum Translatione*, quæ ad promissiones
 de Messia factas respexit, appellationem λόγος esse mutuatum. Si
 autem porro quærat: Quare Johannes sub initium Evangelii, &
 ubi de *Incarnatione Filii Dei* agere voluit, eandem usurpaverit, post-
 eà verò in toto Evangelio ab eadem abstinuerit? insufficientis ratio
 esse videtur, quæ ex *Irenæo* à *Chemnitio* allegatur, quia sc. fuerit per-
 sona sonans & loquens cum Patribus, & edens promissiones; & quod
 ab aliis additur, quia in carne assumpta fuerit Orator Patris cœlestis
 ad

ad genus humanum, enunciando voluntatem ejus de salute nostra, *Johan. I. 18.* Insufficiens inquam hæc Ratio à multis judicatur. Nam quid hoc ad institutum Evangelistæ? annon commodiorem titulum habere potuit, quò subjectum incarnationis designaret? & cur abstinuit ab eo, postquam incarnationis mysterium absolverat? Prætereà nihil hoc titulo Filio Dei assignatum fuit, quod non eodem jure Spiritui Sancto, vocabulum λόγος vindicare posset, cum idem tam in Vet. Test. 2. Sam. XXIII. quàm in N. Test. Job. XIV. 26. annuntiaverit voluntatem Dei.

§. 5. Lutherus in postill. Eccles. super cap. I. Johan. in Fest. Natalit. fol. 105. ostendit, quomodo ratione divinæ Essentiæ suæ Filius appelletur λόγος, quia scilicet coessentialis Patri sit, ita ut integrè in eo ceu imagine viva luceant Sapiencia, bonitas, potentia cœteraque attributa Patris, quomodo noster sermo cogitationum mentis est effigies. Quamvis maxima sit dissimilitudo in exemplo, & notio seu effigies mentis nostræ ac sermo, sit tantùm accidens, cùm Verbum Patris sit persona. Prætereà sicut Verbum internum in mente nostra absque motu externo & immaterialiter concipitur absque ulla suâ passione & corruptione: ita quoque Verbi hujus æterni generationem in Deo Patre esse eminentissimè spirituales. Conjunxit utramque Gregor. Nazianzen. Orat. II. λόγος dicitur, quòd ea sit ipsius ad Patrem ratio, quæ sermonis est ad mentem, neque tantùm proptereà, quòd hæc generatio sit passionum expers, sed etiam propter conjunctionem & interpretationis munus. Non aliter Cyrillus l. 1. Thesaur. cap. 7.

§. 6. Philippus in locis pag. 113. ulteriùs progreditur & generationis divinæ modum appellatione hæc à Spiritu Sancto exprimi existimat, imitatus hæc in re scholasticos, qui ex Basilii Homil. I. super cap. I. Johan. ita docuerunt: Sicut mens nostra, cum se ipsam per reflexionem cogitat atque intelligit, aliquam imaginem sui ipsius concipit & in se efformat, etiam sine perfectè, nec distinctè subsistentem; ita Deus Pater cum se inenarrabili & eminentissimo modo intelligit perfectissimam sui imaginem in se formavit & Verbum æter-

nūm generavit. Scholastici ex hāc appellatione probare volunt, Filium propriè ex intellectu seu mente Patris procedere.

§. 7. Non sunt omninò Philosophia speculationes (verba nostri Chemnitii sunt pag. 130.) sed quia Scriptura usa est nostris vocabulis, voluit nos deducere ad inspectionem hominis, ut ibi vestigia Trinitatis aliquo modo consideremus. Vid. Gerhard, Exeg. de personā Christi. §. 76. p. 1198.

IV, Altera appellatio, quæ generationem æternam Filii Dei aliquo modo insinuat, est εἰκὼν ὁ Θεός, Imago Dei Patris Colof. I. 15. Chemn. in Loc. p. 129.

§. 1. Ita autem appellatur Filius Dei, non secundum humanam naturam, quod Osiander à Wigando in Osiandrisimo, pag. 3. hanc ob rem notatus, voluit; sed secundum Divinam naturam, quod omnes circumstantiæ contextus evincunt. Statim enim is, qui imago appellatur, ut Creator omnium rerum introducitur.

§. 2. Intelligitur autem imago non imperfecta, quæ suum πρῶτον referit quoad signum tantum, prout in statua lapidea vel argentea est imago hujus vel illius; sed perfecta, & quidem, quæ suum πρῶτον referit, non quantum ad speciem, uti in humanis Filius imago est Patris, & ejusdem speciei cum Patre quem repræsentat, sed quantum ad Essentiam eandem numericam, uti in divinis Filius repræsentat Patris personam, quantum ad eandem numero Essentiam, ita ut ejusdem sit Essentiæ numericæ, cum exemplari cujus est imago. Et hanc similitudinem Bonaventura l. II sent. dist. XVI. art. I quest. 1. dicit esse per omnimodam convenientiam, qualis non nisi in Deo fit.

§. 3. Quia autem juxta Justinum in qq. ac respon. ad grecos, Imago seu εἰκὼν ἐστὶν ἢ ἡ γένεσις διὰ μιμήσεως, vel, ut Andreas Placius in Lex. bibl. ad Ps. LXXII. explicat, ejus generatio est per imitationem: & ad imaginem non sufficit conformitas seu similitudo quædam, sed uti Thomas part. 1. quest. 35. art. 1. docet, etiam insuper requiritur, ut ex alio producat, Patres non incommo-
de

de Divinae generationis vestigia in Imaginis voce Filio Dei attributa, latentia, sectati sunt, & ita docuerunt: *Sicut filius Patris imago est, & non tantum representat Patrem suum quoad externa lineamenta, aut quoad internas animi dotes, sed etiam quoad ipsam Essentiam, ideo quia Pater filium de Essentia sua genuit: Ita etiam in divinis Filius imago Patris est, quem ratione Essentia representat, quia eandem numero Essentiam Pater ei communicavit per aeternam generationem, & ita se intuenso hanc imaginem genuit.* Legatur de hac appellatione ejusque vindicatione B. Balduin. in *Comment. Epist. ad Coloss part. 2. cap. I. quest. I. p. 56. seq.* D. Waltherus in *Quadragesima Miscellaneor. Them. XXVII. pag. 643. seqq.* D. Calovius in *Exam. Crellii* §. 315. p. 1292. seqq.

V. *Tertium Epitheton Filii Dei, generatio- nis divinae documentum, est ἀπύγασμα τῆς δόξης* Ebr. I. 3. Chemn. in *Loc.* p. 130.

§. 1. *Ἀπύγασμα* est splendor ex luce propagatus, uti est *Sap. VII. 25. 26.* explicatur. Et elegans *Metaphora* subest huic phrasi. Significatur universam Dei Patris gloriam in Christo residere, nihilque esse in Patre, quod non itidem in Christo clarissime reluceat & conspiciatur. Insuper & *emanatio filii à Patre, ac aeterna ejus generatio* indicatur, quòd eo modo à Patre emanet, quo à lumine aliquo procedit splendor. Interpretes latius ostendunt, quomodo generationis hujus (1.) necessitatem (2.) immutabilitatem (3.) puritatem (4.) aeternitatem ac (5.) Inseparabilitatem indicare voluit Spiritus S. Hoc etiam non tantum citati Patres, *Ambrosius, Augustinus & Nazianzenus*, sed etiam plures alii magno consensu docuerunt, *Cyrillus l. III. in Johan. XXIX. l. X. cap. 8. Justin. in exposit. fidei, Damascen. l. I. de O. F. cap. 9.*

§. 2. *Chrysofomi & Nazianzeni* verba merentur, quae à nobis hinc allegentur: Ita autem ille *homil. 2. in Epist. Ebr. fol. 1761. edit. Cornel.* *Ἀπύγασμα τῆς δόξης, φησὶν ἀλλ' ὅρα πρὸς τὴν ἀπύγασμα, καὶ ἴτω καὶ αὐτὸς δέχεται ὅτι ἐξ αὐτοῦ, ὅτι ἀπαθῶς,*

ὅτι ἔμικρον γένετο, ἀλλ' ὅδε ἔλαττον γένετο· ἐπειδὴ εἰσὶ τινες ἀποπαύματα ἐκ τῆς ὑποστάσεως ἐκλαμβάνοντες. Τοῦ ὅ ἀπαύγασμα ἐνυπόστατον οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἐν ἐτέρῳ ἔχει τὸ εἶναι. Splendor gloria, inquit, sed vide ad quid hoc sit accipiendum & ita accipe, quod ex ipso, quod impatibiliter, quod eo non diminuto, nec effecto minori: quoniam sunt quidam, qui quaedam absurda ex exemplo accipiunt. Splendor enim non est in se consistens, sed quod sit, habet in alio. Nazianzen. verò in Orat. I. de Filio, ita explicat: Splendor solis à sole nascitur, est ejusdem cum sole naturæ, simul cum sole emergit, & lucem solis ad amissim exprimit: Sic Filius à Patre genitus, ipse est συναϊδιος καὶ ὁμοῦσι, τὸν ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνύς, quia ἀπαύγασμα δόξης reddi potest splendor lucis.

§. 3. Constantinus Antiochenus in comm. ad h. loc. notavit, ex hâc appellatione Patres Concilii Niceni deduxisse denominationem illam, quâ Filius Dei dicitur Deus de Deo, lumen de lumine.

VI. Quartum nomen, quod æternæ generationi Filii Dei lumen fœneratur, est χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως Patris, Ebr. I. 3. Chemn. in Loc. p. 131.

§. 1. Nomen εἰκῶν de quo Theorem. IV. & χαρακτήρ sunt æquipollentes voces. χαρακτήρ enim à χαρακτω quod est insculpo, sive notam imprimo, significat formam ex alio expressam, v. gr. si quis scitè absoluteque vult ostendere qualitates omnes suæ manus, imprimit eam ceræ, & tunc ista cera est χαρακτήρ manus, ut vel minima puncta & minutissimi ductus linearum animadverti possint. Atque ita non simpliciter imaginem significat, sed expressam & permanentem.

§. 2. Non autem sine mysterio ita appellari Filium, sed & æternam emanationem Filii ex Patre quâ suam naturam in Filio expresserit Pater, hâc nomenclaturâ insigniri, piè sentiunt Orthodoxi. Etsi enim modum ipsum indagare neque deceat, neque eò pertingere liceat, moderata tamen ingenia meritò attendunt ad hujusmodi nomina & appellationes, quæ omninò essent

essentia^e divina^e communicationem Filio à Patre factam im-
portant.

§. 3. Qualiter enim Filius imago dicitur, taliter etiam *Χαρακτῆρ*
est. Non ob opera & præconium verbi, quod incauta nonnullo-
rum *Calvinn. glossa* vult à *Photinianis Socino* in *resp. ad c. 8. Wieck. p.*
116. Ostorodo in *Inst. relig. Christ. c. I. 20 p. 141. Schlichting. in Comm. ad*
Ebr. I. 3 p. 25. Schmaltz. in Exam. 167. errorum Smigletii p. 10. proba-
ta, sed ob ipsam *Essentiam*, quia Patris personam exactissime repræ-
sentat, quod ipsa *verba textus & contextus* arguunt, & quia Deus Pa-
ter formam suam per generationē ei impresserit. *V. Gerb. in Exeg.*
c. 970. Glaß. I. V. Philol. Sacra p. 158. 159. Calov. in Exam. Crell. p. 1295.

VII. *Quintum* nomen, quod probat secundam
personam divinitatis esse genitam à Patre, est *Fil-*
ius, *Chemnit. p. 130.*

§. 1. Nomen hoc secundæ personæ tribuitur à *Prophetis* in *V. T.*
Pf. II. 7. Prov. XXX. 4. à Patre ipso 2. Sam. VII. 14. 1. Paral. XXII. 10.
XXII. 6. Matth. III. 17 c. XVII. 5. Marc. I. 11. IX. 7. Luc. III. 22. IX.
35. 2. Pet. I. 17. ab Angelis Luc. I. 35. (etiam malis vi veritatis convictis
& constrictis Matth. II. 29. Marc. III. 10. c. V. 7.) ab Evangelistis &
Apostolis.

§. 2. Et quidem *alia ratione* *Filium* Christum dici arg^o nos, inde
patet, quia dicitur *ἰδιος Filius Rom. II. 32. & μονογενῆς πατρὸς πα-*
τρὸς Job. I. 14. Pater ejus dicitur *ἰδιος πατὴρ Job. V. 18.* (Quid ex-
cipiunt hîc *Photiniani*, diluit *Gerb. in Isagog. p. 223. ac Calov. in*
Exam. libror. Crellii de Uno Deo Patre p. 1309. seqq. varios modos *Fi-*
liationis à *Sociniani* excogitatos, recenset ac diluit.) Inde
enim patet non *Metaphoricè* sed *proprie* Christum appellari *Filium*
Dei, ut *Athanasius* in *Epist. ad Serap. docet: Pater proprie est Pater*
& Filius proprie est Filius. Ac Damase. l. 1. de O. F. c. 9. Nomina *Pa-*
ternitatis, *filiationis* & *processionis* non sunt ex nobis ad bea-
tam illam divinitatem translata, sed contra inde ad nos tra-
ducta.

§. 3. Firmiter autem ex hâc appellatione *ratio communica-*
ta Essentia colligitur. Sicut enim in natura hominum dicimus
filium

filium genitum de substantia Patris, similem Patri: ita secunda persona dicitur Filius, quia de Substantia Patris natus est, verba sunt *Chemnit. p. 131.*

§. 4. Non dicitur Filius quia à Spiritu Sancto, est conceptus *Luc. I. 15.* sed in relatione ad Patrem. Ita enim (1.) definit Scriptura *Apocalyps. II. 18. 23. Coloff. I. 16. 17. Ebr. I. 2.* (2.) Caiphaz ac impii milites sic intellexerunt, & Christus sensum hunc approbavit ac defendit *Johan. V. 18.* (3.) uti Spiritus S. Pater Christi non potest, ita nec Christus Filius Spiritus Sancti dici potest. (*pag. 133. Chemnit.*) Non enim generando, sed creando produxit humanam naturam in Christo.

§. 5. Non equidem negari debet *etiam secundum humanam naturam* Christum dici Filium Dei naturalem, sed tamen prius oportet poni *divinam* naturam in Christo, secundum quam *naturaliter* est Dei filius. Postea per unionem in tempore factam est factus secundum humanam naturam Filius Dei personaliter, & dum humanitas hæc in hypostasim Filii Dei fuit assumpta, omnino secundum humanam naturam Christus Filius Dei *naturalis* est, licet non *naturaliter* sed personaliter. V. *Gesnerus Diss. XII. F. C. cap. 2. th. 3. seqq. pag. 302. seqq. Hutterus in A. C. artic. IIX. p. 757. Gerhardus in Exeget. de persona Christi §. 172. pag. 1311. Lyser. in Disputat. de Genealogia Christi quest. VIII. Fevverborn. Fascic. III. Disput. VII. thes. 3. seqq. pag. 299. seqq. Schroder. in Scept. regal. pag. 66. 67.*

IIX. *Sexta* tandem appellatio quæ probat secundæ personæ proprietatem personalem, est, quod Filius Dei dicitur *Genitus*, *Chemnit. p. 130.*

§. 1. Textus præcipuus est *Psal. II, 7.* ubi Pater ad Filium dicit: *Ego hodie genui te.* Id quod de Filio secundum divinam naturam verum est, cum secundum humanam naturam *ἀπό τῆς* sit & non à Patre genitus. Quid Photiniani excipiant ad hunc locum, diluit *Hopfner. in Elench. Psal. II. sub fin. Gerhard. in Isagog. p. 221. Calovius in Exam. Grellii p. 136. seqq.*

Ue

§. 2. Sicuti verò omnis generatio fit per communicatio-
nem ejusdem naturæ, quam habet generans (ad differentiam
Creationis Chemnit. pag. 131.) ita quoque Filius Dei dicitur geni-
tus ab æterno per *communicationem ejusdem naturæ* sive *essentiæ*,
& quidem non specie ejusdem, quomodo naturam Patres creati
suis filiis communicant, sed *numero ejusdem atque individue Es-*
sentia. Hinc Filius dicitur à Patre habere naturam *Joban. VI. 57.*
Qualiter autem hæc generatio comparata sit: de eo vide *Höpsn.*
in Psal. II. 7. & Gerb. Exeg. p. 1197. Graver. Centur. l. 99. Illustr. disp.
III. q. VI.

§. 3. Alius Textus occurrit *Proverb. IIX. 22. 24.* (de quo lo-
co *Chemnit. pag. 157. & Gerhard. Isagog. pag. 202. 213. in Exeg.*
Trinit. §. 128. Doct. Jac. Martini Disp. V. de Messia th. 13. Fevverborn.
Fasc. III. Disp. III th. 72. seqq. pag. 166. seqq. & in AntiOstrod. th. 42.
Glassius l. 1. Philol. Sacr. pag. 490. & in Onomatol. Prophet. pag. 371.)
Et quidem de verbo נָּוֶן magna olim inter Patres & Arrianos mo-
ta fuit controversia. Ipsa Radix נָּוֶן propriè significat *fie-*
ri aut esse alicujus rei possessorem, vel *precio & emtione*, *Genes. XXV.*
10. Esa. XXIV. 2. (ubi נָּוֶן venditor opponitur emtori) vel *labore*
ac *industriâ* *Proverb. IV. 5.* vel *creatione*, uti Deus dicitur נָּוֶן pos-
sessor cœli & terræ *Gen. XII. 19. 22.* vel *generatione*, quomodo Eva
de Caino dixit נָּוֶן *Gen. IV. 1.* Solus ultimus possidendi modus
hoc loco obtinet, quomodo possederit scilicet, Pater æternus ab
æterno filium suum per æternam generationem seu communica-
tionem Essentiæ suæ filio factam, uti ex subseq. Verbo נָּוֶן patet
vers. 25. Chald. habet נָּוֶן creavit me. LXX. ἐκτίσθη. Ubi
Chemnitius pag. 158 censet esse πραφικόν σφάλμα & pro $\text{ἐκ-$
 τίσθη , (quod ex aliis *Interpp. græcis*, notavit *Stephanus in Franco-*
furtensibus Bibliis) legi ἐκτίσθη . Sed quia activum κτίω apud Græ-
cos non in usu est, & ab antiquis Patribus, *Justino, Athanasio, &c.*
ita *Interpres* allegatur; responderi potest, tam *Chaldeum*, quàm
Græcum promiscuâ significatione radicis נָּוֶן & נָּוֶן fuisse dece-
ptum, siquidē נָּוֶן in *Chaldeo*, etiam generandi significatum ha-
beat, *Job. III. 3.* & Græci quandoque per ἐγέννησε *Zach. XIII. 5.* ver-
tant *V. Sixt. Amama in Antibarb. Biblic. p. 910. seqq.* Obiter de
B Chald.

Chaldaeo notandum est, auctoritatem ejus tanti hic non esse, quanti fortè aliquis aestimare eam posset. Constat enim, *paraphrasin Hagiographorum* nimis recentem esse, sive *Joseph Cæcus* autor ejus sit, sive alius. Vid. *Galatin. l. VIII. cap. 24. Posssev. Tom. I. apparat. fol. 221. Mercerus in Job. l. 1. Helvic. de paraphras. Chalda. pag. 6. Schikbart. Bech. Happ. pag. 36. Epiphanius citatus à Chemnitio, vertens: Excluse me instar pulli, deduxit dubio procul vocem Ebraeam à אֱלֹהִים nidificavit. Ast non tantum forma vocis repugnat, cum legi debuisset אֱלֹהִים sed & significatus in codice sacro obvius, ubi non excludendi, sed nidum construendi significatum habet *Ps. CIV. 17. Esa. XXXIV. 15. Jerem. XLIX. 28. Ezech. XXXI. 6.**

MEMBRUM III.

De

Certaminibus.

I. *Hæretici*, qui veritatem Deitatis Christi impugnârunt in tres ordines dispesci possunt. *Chemnit. in Loc. p. 135.*

Statim quidem ac Filius Dei in sua venerat, divinitatem ejus in dubium vocarunt Contribules ejus Judæi *Job. l. IX. 19. 29. 57. X. 33.* & Messiam non nisi Davidis filium arbitrati sunt *Matth. XXII. 42.* Sed tamen post ascensionem Christi demum, incrementa singularia fecerunt, qui pessundatum ibant Divinitatem Christi.

II. In primo ordine sunt ἀεὺροῦς τοι , qui docuerunt, Filium Dei ante incarnationem ex Maria, non habuisse subsistentiam ac fuisse personam, sed fuisse in Patre velut potentia sentiens ac intelligens in anima est; unde & ἀεὺροῦς τοι sunt dicti, *p. 135. 136.*

In

§. 1. In primo seculo adhuc vivo Johanne Apostolo, fuerunt Ebion & Cerintus (p. 135.) qui ut Tertull. l. 1. de praescript. cap. 45. 68. de Cerintho & l. 1. de carne Christi de Ebione refert, ex Christo nudum hominem & tantum ex semine David, id est, non Dei Filium fecerunt. Hisce opposuit Johannes Evangelium suum, sibi que in prooemio hunc scopum fixit, quod ex Cyrillo Chemn. p. 138. ostendit & B. Meisnerus ex antiquissimis Patribus contra Enjedinum defendit in Logolog. sacr. c. I. th. 8. seqq.

§. 2. In secundo seculo hostes accerrimi Divinae Naturae in Christo, non defuerunt quidem, sed tamen superavit eos in tertio seculo Paulus Samosatensis, quem primum ac praecipuum propterea Chemnitius pag. 136. nominat ac qua occasione, quibusve mediis errorem hunc excitaverit ac propugnaverit, late exponit.

§. 3. In quarto seculo Samosatensi dogma, ut Philastrius & Augustin. l. de haeres. ad Quodvult Deum haeres. 44. referunt, renovavit Photinus Episcopus Sirmii, Civitatis Illyriae, viribus ingenii valens, eloquio potens, doctrina opibus excellens, Sozom. l. IV. c. 5. Qui docuit, Christum in Maria primum coepisse ac nudum hominem esse. In Sirmio Synodus autoritate Constantii Constantini M. filii contra hanc haeresin convocata fuit eodem seculo, qua Photinum exilio mulctavit, Socr. l. II. cap. 29. Sozom. l. IV. cap. 5. In seq. seculis excepto Arrianismo, de quo seq. theor. omnes haereses, Dei providentiam ad orcum redierunt, quicquid istud fuerit, quod unus ac alter interdum attentavit.

§. 4. In XVI. seculo post reformationem Lutheri, primus Photini blasphemiam revocavit Michael Servetus natione Hispanus, in scholis Mahomedicis educatus, & primo quidem Basileae, deinde Venetiis plurimas turbas dedit impio suo dogmate, quod Bellarm. l. I. de Christo c. 1. ex libris ejus refert. Plura de hoc monstro in artic. de Trinitate dicta fuerunt.

III. Secundi ordinis haeretici in certamine super divinitatem veram Filii Dei moto, sunt ἀποδοκίμοι. Chemn. in Loc. p. 139.

§. 1. Horum Coryphæus fuit *Arius* in seculo quarto, Presbyter Ecclesie Alexandrinae. Hic intelligens Samosatani dogma universae scripturae & totius Veteris Ecclesiae consensui repugnare, novam ratione divinitati Christi detrahare coepit, & ante Mariam Christum fuisse non quidem inficiatus est, asseruit tamen eum esse creaturam ante tempora genitam. Atque ita negavit, illam personam naturam & verè esse Deum, sicuti ipsemet Arius summam doctrinae suae recitat in Epistola ad Eusebium Nicomediensem, quae extat in Tripart. l. I. cap. 15. fol. 23. & apud Epiphan. Heres. LXIX. Tom. II. l. 2. fol. 328. & apud Theodoret. l. I. c. 5. fol. 829. & in epistola quam cum affectis suis ad Alexandrum ex Nicomedia scripsit, apud Epiphan. l. alleg. ead. pagina.

§. 2. Occasionem dedit huic haeresi, tum ingenii bonitas & differendi subtilitas, tum novitatis & contentiosis studium, quo captus fuerat Arius adhuc Diaconus, & Neophytus; tum ambitio, & quod ægre tulerit sibi in Episcopatu praeferi Alexandrum, sicuti Ruff. l. I. cap. 1. fol. 195. Theodoret. l. I. cap. 245. notarunt. Socrates l. I. cap. 3. fol. 217. insuper aliam occasionem refert, & quod ex Alexandri noviter electi Episcopi colloquio, ejusque curiosae ac subtili in Trinitate philosophatione, Arius stimulatus, ad suam haeresin deflexerit, memorat, Contentiosis autem studium in Arrio non celat, quicquid sit de vocabulo philosophari, quod aliqui emollire & ad piium revocare sensum volunt.

§. 3. Conciliationes multae & variae fuerunt tentatae, sed nihil ex Arrio obtineri potuit, usque dum primo munere exutus, deinde extra urbem Alexandriam ejectus tandem in Concilio Niceno auctoritate Constantini M. anno à nato Christo XXIV. seculi quarti, indicto & coacto, cum dogmate condemnatus, ac peculiaris fidei formula doctrinae Aarii opposita publicata & universae Ecclesiae commendata fuerit, sicuti in Historia Ecclesiastica prolixè hæc de re legi potest. In Niceno conventu omnes, scribit Athanasius Tom. I. Orat. I. contra Arrianos aut quotquot ibi aderant, Episcopi, aures suas ad verba ista obturaverunt, omnesque communi suffragio haeresin istam damnaverunt, & anathemate ut alienam diversamque ab Ecclesiastica fide, detestati sunt.

§. 4. Quas turbas dederit in Ecclesia etiam sequentibus temporibus

poribus *Arii* dogma, & quæ scandala inde fuerint nata, documento esse possunt tristis *Apostasia Juliani*, *Constantii Constantini M. filii* in Imperio successoris, & *Infelix Alcorani fœtus* ac *Mahumetis tyrannis*, uti *Chemnit. p. 140.* commemorat. *Arrius*, scribit *Hieron. T. III. Opp. in c. V. Gal. f. 927.* in *Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est, totum orbem ejus flamma populata est.*

IV. *Tertius* ordo illorum, qui *Divinitatem Christi* impugnârunt, complectitur τὸς ἀνομοίους sic dictos, quod *Patri planè dissimilem* dixerint *Filium*, *Chemnit. in Loc. p. 140.*

§. 1. Primus hujus ordinis dux fuit *Aetius Syrus* ex *aurifabro Diacono Antiochena Ecclesia* factus & talis *Theologus*, quales nostro tempore sunt *Anabaptistæ*. Hic in *Aristotelicum philosophum* ac *Sophistam* incidens, quod *Epiphanius hares LXXVI. T. II. l. 2. f. 409.* refert, totus in id incubuit, ut *divinarum rerum rationem omnem* quibusdam figuris explicaret, & *absurdas ac mirabiles quæstionis* agitare cœpit, ac tandem in *Arii partes* concessit, quas tamen ita temperare solebat, ut in quibusdam reprehenderet *Arium*, ne scilicet tam citò dolus adverteretur, vel quod *Suidas f. 35.* monet, ita intricabat, ut à suis non intelligeretur.

§. 2. Habuit *Discipulum Evnomium Galatam Episcopum in Cyco*, qui potuit facundus esse in illis quæ non intelligebat, & septem *Tomos in Epistolam ad Rom.* ineptè scripsit, quod *Suidas fol. 341.* de ipso refert. Is uti *Sozom. l. VI. H. E. C. 26. fol. 523.* memorat, renovavit *Aetii haresin*, & majore cum audacia, stabilire laboravit.

§. 3. Commodè horum haresis ad *Arianam* referri, & cum illa refutari potest. Scripserunt contra illos *Basilus & Nazianzenus.*

V. *Argumentis multis & probabilibus præ cæteris* pugnârunt *Ariani*, quæ in *numerato* habere & confutare omninò expedit, *Chemnit. in Loc. p. 155. §. 1.*

§. 1. Deducit enim illorum *Refutatio* ad diligentiorum fundamentorum considerationem, & discimus inde detestari illam

humani ingenii petulantiam, quæ profanas cogitationes arcanis illis ac adorandis potius quàm discutiendis mysteriis fidei admiscet, ac reverentiâ majore nos continere intra illas metas, quas præfixit nobis Scriptura.

§. 2. Præterea quia iisdem telis pugnant hodie *Sociniani* quibus *Arriani* veram Deitatem Christi olim impetierunt, etiam propter eos negligi non possunt, ut ostendatur, quomodo cum antiqua hæresi non nisi antiquus hæreticorum Coccismus olim ab Ecclesiæ Doctoribus *Nazianz. Cyrillo &c.* protritus, repetitus & revocatus à Socinianis fuerit. Ut enim *Arrianorum* nominis eos hodiè pudeat, quod in *præfat. germ. Instit. pag. 12. Ostorodus* non diffitetur, & malint *Photiniani* salutari à *Photino*, qui ut *Socinus in resp. alt. ad Andr. Vol. part. poster. p. 139.* confitetur, ipsissimam *Socinianorum sententiam & sermone & scriptis acriter defendit*; Ut enim etiam in eo ab *Arrianis* differant, quòd *hi plus tribuerint Christo & antè omnes creaturas eum à Deo conditum esse dixerint: Ipsi verò in Maria eum ortum esse, asserant cum Photino*; tamen in eo consentiunt cum antiquis *Arrianis*, quòd *institias eant Divinitatem Christi & Creaturarum ordini Filii Dei accenseant*, atq; iisdem telis ac argumentis communicent.

VI. *Duplicia sunt argumenta*, quibus *Arriani* errorem suum propugnârunt: 1. *Quædam Scriptura dicta pravè intellecta & perversa.* 2. *Certa quædam argumenta ad absurda ducentia.*

VII. *Dicta Scriptura* ab *Arrianis* citata minimè detrahunt *Divinitati Christi*, *Chemn. in loc. p. 157. seq.*

§. 1. Ostenderunt id *Nazianzenus & Cyrillus*. Ille quidem in *O. rat. XXXVI.* quæ est *secunda de Filio Dei*, Hic verò in *Thesauro suo.*

§. 2. Ut in compendio dicamus, in omnibus illis *Dictis* vel *Fallaciam Figuræ dictionis* commiserunt *Arriani*, vel *pravè eadem applicuerunt & accommodarunt.*

§. 3. *Fallaciam figuræ dictionis* commiserunt (1.) in *Verbo* ²²⁷ *Proverb. IIX. 22.* dum de voce, non ex ipsis fontibus, sed *rivulis ac græcorum tantum versione* judicarunt, id quod *Basilii l. II. contra Eynom.*

Evnom. Epiphan. l. II. T. II. heres. LXIX. f. 336. Hieron. Ep. CXXXIX. T. I. Opp. f. 1152. jam olim annotarunt. Vid. supra Membr. II. Theor. IIX. §. 3. (2.) in particulis Usque & Donec Act. XIII. 21. 1. Cor. XV. 25. quæ non semper terminum rei absolute ponunt ac futurum excludunt, sed illam saltem partem temporis determinant, de qua dubitari poterat, pag. 158. V. Chemnit. etiam in Harm. c. VII. p. 168. (3.) in Verbo Facere, quod non semper Creandi habet significatum, sed sæpe significat declarare, constituere Ordinare ad officium, Mutare statum &c. p. 162.

§. 4. Malè autem accommodârunt Arriani ad negandam Divinitatem Christi, illa Dicta, quæ (1.) de Christo non nisi secundum humanam naturam considerato, enunciant, quòd sit minor Patre Job. XIV. 28. habeat Deum Job. XX. 17. habeat & acceperit in tempore à Deo Luc. X. 22. Matth. XXI. 18. Job. V. 26. (2.) statum exinanitionis ejusq; mutationem exponunt Act. II. 36. Ps. II. 6. Ebr. II. 7. Matth. XI. 11. (3.) officium Christi ejusq; dispensationem & óikonomíav exprimunt, sive Regium 1. Cor. XV. 24. p. 159. Matth. XX. 21. p. 164. sive Propheticum Marc. XIII. 32. p. 161. sive Sacerdotale Ebr. VII. 25. Rom. II. 34. (4.) non filium qui in Patre est, excludunt, sed saltem creaturas & id, quod extra Patrem est Job. XVII. 13. Marc. X. 18. (5.) ipsam equalitatem filii cum Patre & communem ac indivisam operationem notant Job. V. 19. 30. II. 28. pag. 160. Act. II. 32. Rom. IV. 24. II. 11. p. 163. Tantum enim abest ut divisam à Patre potentiam ac imperfectionem in Christo hæc verba arguant, ut potius illis ipsis suam cum Patre equalitatem Christus adserere & vindicare velit, quæ tantum impossibile sit se à seipso quicquam facere posse, quod non Pater in ipso vel per ipsum operetur. Unde Chemnitius cap. 46. Harm. p. 171. eleganter exponit, quâ ratione hisce dictis ex communi sanctorum ordine Christus sese eximare voluit. Cùm enim illi ex essentia & natura sua aliud sæpe & faciant & operentur, quàm id ipsum quod Deus 1. Cor. XV. 10. Actor. III. 1. Ipse non tantum facit, sed nec potest facere quidem propter perfectissimam exæquationem ex natura & essentiâ suâ aliud se diversum quàm idem ipsum quod operatur Pater.

Argu

VII. *Argumenta Arrianorum etiam non evincunt, quod putatur ab illis, Chemnit. in Locis pag. 155.*


§. 1. Nazianzenus Orat. quæ est I. de Filio illa recenlet, eorumq; meminit August. Tom. III. Opp. l. VI. de Trinit. cap. 1. Ex his verò noster Chemnitius illa collegit.

§. 2. Sed ad omnia responderi potest monente Chemnitio (1.) confundi in illis perpetuò generationem ipsam in se spectatam cum generatione tali vel tali, hoc est, *physica & hanc cum æterna.* (2.) Misceri *prioritatem Essentialem & prioritatem personalem*, cum tamen distincta sint, quæ de Deo secundum relationem prædicantur, ab illis, quæ secundum essentiam de Deo dicuntur. *Prioritas ac posterioritas inter Patrem & Filium datur, non ratione Essentie, quo respectu nihil prius aut posterius in Deo est, Athanasio in symb. vers. 18. Orthodoxè pronunciante: sed ratione personarum seu personalis, quæ à modo habendi unam numerò essentiam divinam æternam, pendet, dum Pater à nullo, Filius autem eam à Patre γεννητός habeat. Observavit hoc in argumentis Arrii Augustinus, quando in Tom. citat. fol. 326. ita disputat: Nam ipse Arrius dixisse fertur, si filius est, natus est: si natus est, erat tempus quando non erat filius: non intelligens etiam natum esse Deo sempiternum esse, ut sit coæternus Patri filius, sicut splendor, qui gignitur ab igne atque diffunditur, coævus est illi, & esset coæternus, si esset ignis æternus. Unde quidam posteriores Arriani abiecerunt istam sententiam, fastique sunt, non ex tempore cæpisse Filium Dei, &c.*



AB 42 $\frac{3}{i,9}$

VO 17



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.



9

AD LOCOS
tiii,
IIX.

TERNA
II,
LESIA SUPER
RTIS,

PZOVV SS. Theol.
ad D. Thomæ

Hamburgensi.
1648.

ÖLERI.

